



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 121. Nam & Gallilæus est. v. 59.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

sed quid illi de humano arbitrio in se nude spectato contemplati sunt; malè quidam eorum negaverunt de eodem per gratiam Dei instructo. Sed in hoc ipso illi ipsi facti sunt spectaculum dum suimet fastu testari sunt, se sine gratia ne quidem rectè de se ipsis potuisse sentire.

Quam grave periculum est semel excidisse è gratia Dei per peccatum quot postmodum insidiæ struuntur! quot occasiones relabendi; testis est hic Petrus; testes tot millia Christianorum, qui metu vel Tyrannorum, vel spe amicitia, vel lucri te Deum verum, & vivum negaverunt & ad inferni barathra delapsi sunt. Mi Iesu eripe me ab homine malo, à viro iniquo eripe me, ne fortè seductus te Deum meum negare incipiam, & morte turpissima peream.

§. 121. Nam & Galilæus est. v. 59.

Antea simplicibus assertionibus oppugnabatur Petrus; nunc etiã probationibus, qui accusationis suæ causam etiam addit iste alius, post integrã horam specularatus, dicens: *Nam & Galilæus est patria sicuti suus Dominus cui servit & Magister quem sequitur; ideo comprehendere debet & duci ad principes sacerdotum: quibus verbis maxime est perterritus Petrus & ait: O homo nescio quid dicis, ut à se averteret suspicionem. Quid adeone improbus & perfidus est Christus, ut eius te disciplinae pudeat aut pœniteat Petre, ut eum Magistrum habuisse & agnoscere tibi sit pudor?*

Domine quid hic dicam! Petrus homo est, & humani à se nihil alienum putare imposterum non poterit, ecce labitur uti homo peccator; relurgit tamen tua gratia abjutus, ut pœnitens: eandem obsecro mihi donari gratiam, quã relurgam omni die à peccatis meis, qui & ipse indies incidit in peccata.

§. 122. Et ait Petrus, O homo nescio quid dicis. v. 60.

Expendamus verbum Petri, ut incipiamus odisse mendacium, imo eimere, quoniam omne mendacium occidit animam mentientis. Quomodo occidit mendacium animam? an omne mendacium est mortale peccatum? Absit. Sed ita occidit, quod famam mentientis perdit seu honorem, quia nemo ita artificiose mentiri potest, ut non in suomet verbo capiatur, & prudens adhi examinatur & sic semper occidit opinionem ejus bonam, cum nemo hoc sciens ei deinceps credat. Ecce Petrus ait, *O homo nescio quid dicis*